

ibique exercitum suum ordinans, eandem legionem Theutoniorum Antonio, qui postea Cleopatre in Aegypto coniunctus est, commendavit. Post haec Romam veniens Pompeium fugavit, et aerarium effringens stipendia militibus larga manu distribuit; deinde mare transiens Pompeium cum senatu apud Emathiam consecutus civili bello superavit ac multam Romanorum stragem dedit. His omnibus ita peractis Aegyptum intravit, Ptholomeum pro occisione Pompei bello lacessivit, postremo in Nilo flumine navali bello devicit et necavit. Ptholomeus a Caesare devictus, de navi ad navem armatus transilire volens, in undas cecidit et non comparuit. Deinde ordinatis rebus Antonium inibi cum parte exercitus reliquit, ipse vero cum reliquis Romam rediens, ibi cum triumpho susceptus est. Post paucos autem dies capitolium quasi de re publica ordinaturus ingreditur, et a quibusdam civibus oppressus ac confossus vitam finivit et Octaviano Augusto, sororis filio, summam rerum reliquit. Haec nos breviter per digressionem inseruisse nulli displiceat; qui vero plenius illa scire desiderat, Lucanum vel historiam Romanorum legat; nos ad incepta redeamus.

3<sup>b</sup>. Praefatus igitur Novientensis<sup>1</sup> locus, ut praediximus, sacrilego ritu gentilitatis usque ad tempora Neronis imperatoris tenebatur<sup>2</sup>. Eo namque tempore, 40. videlicet ab ascensione domini nostri Iesu Christi anno<sup>3</sup>, beatissimus apostolorum<sup>4</sup> princeps Petrus, adiuncto sibi Paulo apostolo, evangelium Christi in urbe Romae praedicabat. Qui cum per spiritum sanctum tempus passionis suae sciret instare, convocatis discipulis, quos idem fervor praedicationis verbi divini accenderat<sup>5</sup>, tali eos sermone alloquitur: 'Videte nunc, fratres mei, quanta sit messis dominicae sationis<sup>6</sup> et quam pauci operarii. Nunc igitur memores estote verborum domini nostri Iesu Christi, ubi ait: "Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos". Deinde singulis imponens manus, dedit eis potestatem ligandi et solvendi et misit eos: beatum quidem Apollinarem in civitatem Ravennam, sanctum vero Martialem in Aquitaniae partes, sanctum autem Saturninum Tolosam, sanctum Mansuetum Tullim, sanctum Clementem in civitatem Metensem, beatum autem Maternum episcopum cum duobus presbyteris Eucharzio et Valerio in transalpinas Germaniae partes destinavit<sup>7</sup>. Qui transmissis Alpibus Penninarum, venerunt in supradictum Germaniae pagum, qui Alsatia dicitur, ceperuntque incolis praedicare<sup>8</sup> verbum Dei, qui videntes signa et virtutes quas faciebant, — mortuos enim suscitabant, daemones effugabant et languentes<sup>9</sup>

1) Noviensis Hs. 2) tenbatur Hs. 3) Hier am Rande: S. Petrus Romam oppugnat. 4) apostulorum Hs. 5) accederat Hs. 6) salionis Hs. 7) Hier am Rande: S. Maternus Germaniam invadit. 8) prodicare Hs. 9) lanquentes Hs.